

Haec mala, ut auerterentur, et consensus de doctrina quasi per manus ab apostolis propagatus, ut ad posteros transmitteretur, prima ecclesia non episcopis solis et pastoribus docenti curam commendauit, sed ijsdem adiunxit et κατηγοράς, quorum munus erat erudire nouitios, qui fidem christianam recens amplexi erant et ecclae-[A 4r:]siae societatem sese aggregarant, vt autem ij, <sup>5</sup> qui hoc modo instituebantur, antequam ad baptismum admitterentur, uocabantur κατηχούμενοι. Sic ipsa docendi ratio, qua summa doctrinae ecclesiae compendio tradebatur et uicissitudine quadam interrogationum ac responsiorum auditore ceu κατ' ἡχῳ reddente accepta, exercebatur, nominata fuit κατηγορίς quasi per reciprocum sonum redditia eadem uox doctrinae. <sup>10</sup>

Extat in ipsa scriptura nomen catecheseos cum alibi tum apud Lucam in extordio narrationis euangelicae<sup>3</sup> et in epistola ad Rom. cap. 2<sup>4</sup> et 1. Cor. 14<sup>5</sup> et ad Gal. 6: κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατεχοῦν-[A 4v:]τι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς.<sup>6</sup> Et morem ecclesiae ueteris aliquoties describit Eusebius, qui et seriem atque successionem eorum, qui praefuerunt catechumenis in ecclesia Alexandrina ordine commemorat.<sup>7</sup> Fit et apud caeteros scriptores ecclesiasticos crebra uetustissimi huius moris ecclesiae mentio. Nam et Tertullianus in sermone de poenitentia hortatur catechumenos, ne differant baptismum hac persuasione, quasi securius ante baptismum peccatis indulgere ipsis liceat.<sup>8</sup> Et Chrysostomi quaedam homilia inscribitur „Catechesis ad illuminandos“, cuius exordium etiam tale est, ut ostendat modum ac formam doctrinae ueteris.<sup>9</sup> Sic enim orditur: „Prius dictorum apud charitatem ue-[A 5r:]stram fructus a uobis repetiturus aduenio.“<sup>10</sup> Scripsit et Augustinus librum „De catechizandis rudibus“.<sup>11</sup> <sup>15</sup> <sup>20</sup>

<sup>3</sup> Vgl. Lk 1,4.

<sup>4</sup> Vgl. Röm 2,18.

<sup>5</sup> Vgl. I Kor 14,19.

<sup>6</sup> Gal 6,6.

<sup>7</sup> Vgl. die Aufzählung der Katecheten Alexandriens in chronologischer Reihenfolge bei Euseb von Caesarea, Historia ecclesiastica VI, 3,8–10, in: PG 20, 528f (GCS 9/2, 526,13–528,4).

<sup>8</sup> Vgl. Tertullian, De paenitentia VI, in: PL 1, 1236–1240 (CSEL 76, 152–157).

<sup>9</sup> Vgl. Johannes Chrysostomos, Catechesis ad illuminandos II, 1, in: PG 49, 231–233 (FC 6/1, 110,1–112,9).

<sup>10</sup> Vgl. Johannes Chrysostomos, Catechesis ad illuminandos II, 1, in: PG 49, 231 (FC 6/1, 110,1f).

<sup>11</sup> Vgl. Augustin, De catechizandis rudibus, in: PL 40, 309–348 (SQS 4).